

De partibus orationis breui compendio, Andrea fili, ad te scribere constitui. Nam cum viderem latinam linguam his iunioribus grammaticæ magistris corruere, nihil earum nugarum quas illi docent tenello ingenio tuo proponendum putavi; etenim si quæ a pueris nobis discuntur, ea facile ad senectutem perueniunt, non est negligenda hæc ætas nec obliuione digna sunt tradenda, sed quæ non pœniteat ætate grandiores a puericia percepisse.

Quæ cum ita sint neque Prisciani exquisita volumina pueris danda videantur, Compendium ex eo non paruo labore confecimus : quod si memoriæ tradideris, optimos profecto fructus uberioresque concipies. Nam ut agricolæ, nisi semina curiose delegerint agrumque probe coluerint, tempore messis lugeant necesse est; sic, nisi quis rudem animum bonis regulis auctoribusque imbuerit, maior ætate metet ignorantiam. Quæ in re, si mihi, cum primum docere impulsus sum, fuisset obtemperatum, Virgilium Ciceronemque pueris offerenti non ut intelligerent, quod ab ea ætate alienissimum est, sed ut crebra lectione memoriter tenerent, quæ puericiæ propria studia sunt, multi profecto inpresentiarum iuuenes præceptione nostra letarentur et nos melius sibi quam parentes prospexisse profiterentur. Verum quoniam communem pene omnium prauam consuetudinem, quam dediscendam discunt, magna ex parte vel inuiti secuti sumus, tu, quem non alieno ductu sed nostro docere possumus, Virgilium nunc et has regulas, paulo post Ciceronis nonnulla memoriæ commenda, quæ sola virtus animi his teneris annis summo opere pollet. Deinde, cum per ætatem attendere poteris, facilius intelliges quæ molliori animo infixæ fuerint. Quod si facies, ostendes profecto et me recte multis consuluisse et te a tertio apud Hesiodum ordine hominum longe abesse :

Optimus ille quidem qui per sese omnia noscens
 Præceptor suus ipse sibi meliora peregit.
 Ille bonus rursus monitus qui recta sequetur,
 Qui nec ipse videt neque credit recta monenti,
 Hic nulla in parte utilis est ¹.

1. Hésiode, *Les Travaux et les Jours*, vers 293-297.

